

unius electio nobis tribuatur. Abbas ait: Et unius et omnium electio in vestro consistat arbitrio. Papa ait: Bene dicis, sed paterno affectu te precamur et monemus, quoniam quidem moriturus es, ut animam tuam non perdas pro causa ista; sed si aliqua veritatis iusticia tibi nota est, quod sancti Medardi esse debeat, fatere nobis, vis aperte vis secretius, et nos bonam cum abbate illo tibi componemus concordiam nec aliqua ratione paciemur tuam inhoneste tractari caniciem. Tunc consurgens abbas stetit et ait: Domine pater et pastor totius orbis, audite obsecro et intendite michi: Per illam vere fidei soliditatem, in qua Petrus fundatus erat, cum dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi¹, quod ego in causa ista iusticiam ecclesie sancti Medardi numquam scivi vel agnovi. Cum enim certissimum habeam beatum Medardum esse preciosum domini confessorem, cur res eius minuerem vel negarem, cum scirem inde mihi provenire dampnationem. Absit hoc a me, absit ab omni christiano, ut tanta vesania me existimet occupari. Cancellarius dixit ad papam: Vere, domine, licet non premeditatus, honestissime vobis et toti curie vestre satisfecit. Ob hoc iudicamus, quod causa eius verax et iusta debet haberi, quoniam non scrupulose, sed luculenter ante vos et curiam^a vestram^a cause sue rationes disseruit et nullum verbi anfractum offendit^b, sed omnis sermo eius recto tramite decucurrit. Papa ait: Benedictus sit a Deo et a nobis. Abbas dixit ad dominum papam: Recessurus peto, ut confessionem^c meorum reatum audire dignemini, ut qui peccator adveni, per vestram absolutionem purgatus abscedam. Cancellarius ait: Mea fide, rem iustam petit. Papa adiecit: Libenter facimus. Abbas dixit: Si facitis, tollite moram. Ait papa: Fiat, ecce sequere me. Statim surgens secessit in locum secretissimum; quem abbas insecutus fecit confessionem, accepit absolutionem et benedictionem et exire voluit. Papa subsistens ait: Volo, frater, et peto, ut fratres nostros karissimos ex me salutes et de nostra incolumitate illos letifices. Abbas ait: O quam libenter, si scirem, qui sunt illi et si loca illorum pervia mihi forent. Papa ait: Non quero, ut deseras viam tuam, sed si forte etiam per annum tibi occurrerint, memor esto petitionis mee. Abbas ait: Si placet, dicite, qui sint. Et

^a) coram vobis. ^b) statt ostendit?, vgl. o. S. 111 Z. 16. ^c) confessionum.

¹) Matth. 16, 16 (vgl. Ioan. 11, 27).